



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Pvinct. XI. Quousque maritus promissam sibi dotem exigere teneatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

§. III.

An iis in euentibus, in quibus negatur marito, eiusque hæredibus exceptio dotis non numeratæ negetur etiam creditoribus?

- 1. *Varia sunt doctorum placita.*
- 2. *Verus est illis in casibus, in quibus marito eiusque hæredibus non competit exceptio dotis non numeratæ, neque etiam creditoribus competere.*

Varia sunt Doctorum placita. Nam alij quorum meminit Couarruu. Menoch. & Fachin. statim referendi negata marito, eiusque hæredibus hac exceptione eam concedunt creditoribus, quia rationi consonum videtur, ut maritus sibi liceat, non aliis. Alij è quorum numero est Couarruu. i. var. c. 7. n. 6. vers. quomobrem. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1. §. 1. n. 54. hac distinctione videntur. Si confessio dotis receptæ facta est ante matrimonium contractum, creditoribus præiudicat vtpote quæ dotis rationem constituit. At contracto matrimonio nullus est præiudicij, quia præiudicium simulata donatio, & in fraudem legis donationem inter coniuges prohibens facta. Alij hac procedunt distinctione. Si confessio facta est à marito ære alieno grauato præsumitur dolo, & in fraudem creditorum, ac proinde nullus momenti. *Authent. sed iam necesse. Cod. de donationib. ante nuptias.* Secus verò si nullis debitis obstrictus sit.

His tamen placitis omnibus verius existimo illis in casibus, in quibus marito eiusque hæredibus non competit exceptio dotis non numeratæ, neque etiam creditoribus competere. Quod docuit Bart. in leg. assiduis numero 11. Cod. qui potior. in pignor. habeant. Roland. à Valle conf. 20. numero 4. & conf. 74. numero 10. lib. 4. Andreas Gaill. lib. 2. o. obseruat. 81. numero 10. Fachin. lib. 8. controuers. capit. 88. §. 87. & alij apud ipsos. Fundamentum est quia in leg. vltim. Cod. de dote cant. non numeratæ. & in Nouella 100. seu *Authent. de tempore non soluta pecunia super dote.* decennium conceditur ad querelam dotis non solutæ opponendam, quo elapso ea oppositio nemini permittitur, siue marito, siue eius hæredibus, siue creditoribus; lex enim non distinguit, sed absolute, & abique vili limitatione loquitur: & merito, quia si marito, eiusque hæredibus qui principalis ius in neganda dote sibi non soluta habere debebant non conceditur oppositio dotis non numeratæ, minus concedi debet creditoribus extraneis maritum præiudicare sua confessione per decennium non reuocata. Nam hoc præiudicium non ab ipso dicitur, sed à dispositione iuris statuentis dotem per decennium confessatam habendam esse, ac si actualiter soluta esset, ac proinde cum omnibus suis priuilegiis. Neque huic doctrinæ restringatur *Authent. sed iam necesse. Cod. de donationib. ante nupt.* vbi confessio augmenti dotis in rebus mobilibus non præiudicat creditoribus, quia hæc præsumitur in fraudem creditorum facta, cum frequentius hæc confessio fiat non ex vera enumeratione, sed simulatione. Secus verò de confessione integre dotis, cum abique dote raro matrimonia celebrentur bene tamen abque augmento, ideoque facilius fraus in confessione augmenti dotis præsumitur, quam in confessione dotis. Vt latius profectur Couarr. d. c. 7. num. 7.

PUNCTUM XI.

Quousque maritus promissam sibi dotem exigere teneatur?

- 1. *Aliqui videbitur nulla obligatione teneri.*
- 2. *Si dos titulo lucratiuo promissa esset, abstinere poterit maritus ab exactione illius.*
- 3. *Si dos ab extraneo promissa titulo oneroso fuerit, obligatus est maritus dotem repetere.*

Aliqui videbitur nulla obligatione teneri, maritum exigendi dotem. Non enim creditor alstringitur sibi debitum exigere. Quod in præsentia efficacius viget, cum maritus possit à sustentanda vxore abstinere dote sibi non soluta, vel petere compensationem sustentationis, & interesse non solutæ dotis.

Et quidem si dos ab vxore, eiusque patre, aut ab alio extraneo, titulo lucratiuo promissa esset, abstinere poterit maritus ab exactione illius, quin obligetur aliquam vxori restitutionem præstare, si forte interim pereat, vel promissor soluendo impotens sit, quia nullus culpæ reus est eam exactionem omittens. Quippè vxori, eiusque parenti debitor esse non potest, cum ipsi dotis debitores sunt, & per ipsos fiat quo minus marito non solvatur. Neque etiam teneri debet

dotem conferat, siue pater siue alius quispiam. Non obest ratio in contrarium adducta. Nam licet nullum sit fundamentum præsumendi donationem, non obinde inferitur præsumendam dotis receptionem; cum fieri possit confessio spe future numerationis, & sic facta præsumenda est.

10. Nonò si confessioni dotis ab vxore eiusque patre receptæ superueniat alterius promissio de dote solvenda, quam promissionem maritus acceptauit, eo ipso excluditur ab exceptione numeratæ dotis opponenda, cum ea promissio loco solutionis lubrogetur, leg. vir. ab eo ff. de iure dotum. & plurius exornat. Couarruu. i. var. c. 7. n. 6. vers. est & alia.

Ex qua doctrina inferitur marito decedente vxori ex hac confessione competere actionem aduersus hæredes mariti, ut dotem illi soluant, neque ipsi satisfaciant cedendo: actionem autem aduersus extraneum promittentem dotis solutionem habent. Vt latè probat, & respondet contrariis Fachineus lib. 8. cap. 74.

11. Decimò, si confessioni adicias iuramentum, ceteris animam habere dotem donandi, ac proinde sicut donatio expressa inter coniuges iuramento adiecto confirmatur secundum communem sententiam: sic dicendum est confirmari hanc tacitam donationem quæ ex confessione resultat. Vt dixi dist. 2. huius tract. pun. 2. §. 8. in fine.

Ceterum hoc iuramentum esse potest assertorium, vel promissorium: iuramentum assertorium, quo iurares dotem recepisse cum non receperis nequam te obligare potest, neque ad eam confirmare, quia illud non est iuramentum, sed petitorium; ex petitorio autem nulla confirmatio, aut obligatio nasci potest. Sicuti ex communi sententia tradit Couarruu. i. var. c. 7. num. 4. vers. quinto. Iulio Claro, §. donatio. q. 9. vers. hæc tamen conclusio. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. num. 48. Fachin. lib. 8. controuers. cap. 78. tamen contra sententiam Paul. Castrensi. Socini. Senior. Alciati. & alij relati à Fachin. sibi, & à Seraphino Senensi, de iur. iuram. prinil. 59. n. 1. Quorum doctrina procedere potest, vt vxori, eiusque hæredibus non competat omnes probandi dotem esse receptam, quia non est præsumendum maritum petitorium commisisse: bene tamen poterit ipse, eiusque hæredes probare dotem non numeratam esse, et si suam turpitudinem alleget. Vt à talis relatis tradit Man. Acosta, leg. §. cautione, falenti. 9. Mol. disp. 439. ante med.

Si autem iuramentum promissorium confessioni adiciere, quo inquam promittetes, & iurares dotem solutum: communis sententia telatur te obligatum esse soluere, quin possis opponere exceptionem non numeratæ dotis, quia illud iuramentum non solum vitium promissionis purgat, sed illam omnino firmam reddit, vt pluribus d. pun. 2. §. 8. confirmat. Attamen prædicta sententia difficultate non caret, quia iuramentum imbitur conditiones actas cui adiungitur, sed confessio dotis receptæ, & promissio illius solvenda, & restituentæ imbitur conditionem si dos numerata, solutaque fuerit. Ergo iuramentum eandem conditionem continet. Non igitur ex hoc iuramento excludi debet exceptio dotis non numeratæ, maxime cum nullibi cautum sit, quin potius contrarium non leuiter indicatur. leg. vlt. Cod. de non numerata pecunia. ibi. *Quæ enim differentia est in huiusmodi exceptione siue iuramentum positum est siue non.* Atque ita tradunt Ruinus consil. 137. lib. 4. Couarruu. i. var. c. 7. numero 5. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. n. 43. Mol. d. disp. 439. ante med. & alij.

12. Vndecimò si post factam confessionem decennium ad proponendam querelam dotis non numeratæ elapsum sit obligatur maritus, eiusque hæredes dotem vxori, eiusque hæredibus soluere, ac si verè recepisset, quia iure sic disponente præsumitur recepisse, vel saltem voluisse suos facere hæredes. Vt expresse constat ex Nouella 100. seu *Authent. de tempore non soluta pecunia super dote.* ibi. *Palam est voluisse si non accepit dotem, omnina eum scilicet seruum, aut suos reddere hæredes, & docuit Couarruu. i. var. cap. 7. numero 5. in fine. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. numero 75. Fachin. lib. 8. controuers. capit. 82.* Quod si dicas cum Baldo in leg. vlt. Cod. de priuileg. dot. Immo in leg. si constante. numero 47. ff. soluto matrimonio. Paul. Castrensi. cons. 383. numero 2. lib. 2. Aretilino, in §. fuerat. numero 15. instit. de actionib. Socini. Seniore in leg. 1. numero 102. ff. soluto matrim. confessionem hanc receptæ dotis cum recepta non est simulata esse. Ergo ex lapsu temporis non purgatur eius simulatio, sed arguitur? Negandum est in ea confessionis simulationem interuenire, fatens namque te dotem recepisse non quidem actu, sed in potentia, & in spe future numerationis, in quo nulla adest fictio, sed veritas. Quod si in hac confessione decennio perseveras nulla querela interposita, præsumunt iura vel te recepisse actu dotem, vel velle vxorem eiusque hæredes tuos hæredes facere, ac proinde ex illo temporis lapsu firmatur iuris fictio confessio ac si dos verè, actuque recepta esset.

debet vxori, cum ab alio extraneo titulo lucratio promissa dos est, quia censetur in ea dilacione contentere, cum promissioem non vigeat. leg. si extraneus. ff. de iure dot. & tradit Molina r. 2. disp. 427. in princip. Rebell. 2. p. lib. 5. q. 12. numero 14.

3 Verum si dos ab extraneo promissa titulo oneroso fuerit: Et idem est si ab hæredibus foveri debeat obligatus est maritus dotem repetere, alioqui sine repetitione negligens fuerit, & ob eam causam perierit, vxori restituere tenetur quanti eius intererat dotem suo tempore recuperatam esse. Nam cum maritus sit bonorum vxoris administrator, in eo officio delinquit, si ea quæ vxori stricto iure debentur negligens fuerit recuperare. Sic expressè tradit Molina. disp. 427. tit. 10. & Rebell. d. q. 12. n. 1. & colligitur ex leg. si extraneus ff. de iure dot. iunctis leg. ob res. §. ult. ff. de pactis dotalib. & leg. Ne- sennius in princ. ff. de re iudicata.

PUNCTVM XII.

Quod ius competat vxori, vel marito ob euictionem rerum dotalium ?

- 1 Si antequam matrimonium contrahatur fundus dotalis etiam æstimatus tibi euictus sit, nequis agere de euictione.
- 2 Matrimonio vero contracto si fundum dotalium in æstimatum æstimacione venditionis acceperis, & euictus fuerit, agere nequis de euictione aduersus dotantem.
- 3 Si fundum dotalium æstimatum æstimacione faciente emptionem acceperis, qui tamen euincitur agere de euictione potes.
- 4 Quod agendo de euictione comparas rationem dotis habet.
- 5 Vindicatus tibi rebus dotalibus vxor dissoluto matrimonio aduersus tuos hæredes nullam habet actionem, si diligenter negotium defensasisti.
- 6 An cum legitime fundus dotalis vindicatur debeat vxor in matrimonio sub medietate bonorum celebrato illum in parte sibi competente computare? Proponitur sententia affirmatiua.
- 7 Contraria placet.
- 8 Satisfit prima sententia argumentis.

1 Si antequam matrimonium contrahatur fundus dotalis etiam æstimatus tibi euictus sit, nequis agere de euictione, cum ante nuptias nullum illius dominium acquisieris, pendet enim à nuptiis tanquam à conditione. Vt bene aduertit Gregor. Lopez leg. 22. tit. 3. p. 4. gloss. 4. & colligitur ex leg. plerumque. §. si ante. ff. de iure dot.

2 Matrimonio autem contracto distinguendum est; si fundum dotalium in æstimatum æstimacione venditionis acceperis, & euictus fuerit agere nequis aduersus dotantem de euictione, nisi dotans de euictione expressè cauerit, quia nulla interuenit emptio. Sicuti habetur leg. 1. Cod. de iure dot. Verum esto agere non possis de euictione quoad rei æstimacionem, & interesse, agere tamen potes quoad compensationem fructuum fundi dotalis euicti, quia hos fructus obligatione alendi, gubernandique familiam emisisti, sin minus abstinere potuisti ab vxore alenda, vt te seruis indemnem. leg. exemplo. §. si. ff. de actionib. empti. cum satis præsumere possis dotantem in culpa esse. Quinimo si certo tibi consisterit dotantem dolo processisse, eo quod seuerit fundum in dotem traditum alienum esse, vel de ea re probabiliter dubitaueris, agere aduersus ipsum de euictione poteris, vt deciditur lib. 1. Cod. de iure dot.

3 Verum si fundum dotalium æstimatum æstimacione faciente emptionem acceperis, qui tamen euincitur agere de euictione poteris aduersus constitutorem. iuxta leg. quoties. ff. de iure dot. Sicuti cui libet emptori concessum est agere aduersus venditorem rei euictioni subiectæ. leg. in vendendo. ff. de contrahenda empt. leg. non dubitatur. Cod. de euictionib.

4 Illud verò quod agendo de euictione comparas rationem dotis habet, & vxori restituendum est deductis expensis, cum loco rei dotalis subrogetur. Vt expressè colligitur ex d. leg. quoties. ff. de iure dot. Et quauis Gregor. Lopez leg. 18. gloss. 3. tit. 11. par. 4. & Petr. Barbosa ad leg. æstimatus. numero 14. Digest. soluto matrimonio. censent id verum esse, cum dotans fuit vxor, vel eius pater secus si extraneus, rectius Rebell. 2. par. de obligat. lib. 5. quest. 11. numero 4. æstimat æquè in omnibus habere locum, cum eadem ratio æquè in omnibus procedat, nimirum loco dotis subrogari.

5 Vindicatis tibi rebus dotalibus vxor dissoluto matrimonio aduersus tuos hæredes nullam habet actionem, si diligenter negotium defensasisti. Nam cum rerum dotalium constante matrimonio dominus sis, & administrator, sententia aduersus te lata vxori, cuius sunt illa bona præiudicat, sicuti præiudicat domino sententia lata aduersus eius procuratorem.

oblatque vxori petenti exceptio rei iudicata ex leg. si maritus. §. hoc iure. Digest. de except. rei iudicata. probat expressè leg. si pro re pupilli. §. 1. Digest. de euictionib. At si negligens fuisti in re dotali defendenda, quia non doctissimi de re vxori competere, nec probationes suo tempore exhibuisti, aduersus te, rursus hæredes actionem vxor habet. Quod si nec tu nec ipsi fueris soluendo aduersus venditorem habebit mulier regressum. ex leg. Titio centum. §. genere. leg. eleganter. Digest. de dolo. leg. Mevia. Digest. soluto matrimonio. & aliis relatis ab Antonin. Gomez in lib. 50. Tauri. numero 32. & prosequitur Molin. tractat. 4. disp. 428. post med.

6 Sed an cum legitime fundus dotalis vindicatur debeat vxor in matrimonio sub medietate bonorum celebrato illum in parte sibi competente dissoluto matrimonio computari? Non est constans sententia. Nam Rebell. 2. p. de obligat. in tit. lib. 5. quest. 11. numero 11. existimat commune est damnum, eo quod vxor liberatur à soluenda æstimacione fundi dotalis in dotem bona fide dati absque præcedente promissione. leg. 1. Cod. de iure dot. Deinde euenit ille euictiois post contractam societatem contingit. Ergo periurè est de illo iudicandum ac si fortuito perierit. Neque detentionis conditionis debet esse vxor hunc fundum dotalium euicendum adducens ea quæ nihil ad societatem adduceret. Atque nihil ad societatem adduceret participes esset omnium bonorum quæ alter socius confert. Ergo.

7 Contrarium mihi magis placet cum Molina disp. 427. ad finem. Si enim fundus ille dotalis euincetur ob debitum vel delictum ante nuptias commune esset. Ergo neque debet esse commune cum euincitur, eo quod alienum sit, cum in nuptiis euictioni causam tribuens societatem præcesserit. Præterea contractus medietatis bonorum celebratus est sub credulitate fundum illum dotalium proprium esse mulieris. Ergo quæ causam dedit hunc deceptio etiam inculpate præcesserit, compensare tenetur, aliàs ex deceptio commodum reportaret.

8 Neque argumenta opposita vident. Negare namque possemus non esse obligatam vxorem compensare æstimacionem fundi dotalis euicti, qui bona fide in dotem absque præcedenti promissione traditus fuit, quia contrarium videtur decisiuè in nouiori iure Cod. de rei vxor. action. leg. vni. §. Et vt plerumque. Parum enim refert promissionem expressam præcessisse, cum ipsa traditio dotis promissionem continet, vel potius sit ipsius promissionis executio. Præterquam quod loco æstimacionis compensare debet fructus rei dotalis percipiendos vel quanti onera matrimonii æstimantur. Ergo vxor cui euincitur fundus dotalis vel abstinere à participatione bonorum alterius coniugis debet, vel compensare illorum participationem, vel fundi dotalis æstimacionem.

9 Ad illa vero quæ adducebantur respondemus gladius esse perire fundum dotalium ex casu fortuito post societatem superueniente; aliud perire ex causa societatem præcedente; hunc interitum sustinere non debet utriusque socius, cum non eueniret occasione societatis, socius interitum fortuitum post societatem contingentem.

PUNCTVM XIII.

Quo in euentu vxor repetere dotem à marito possit matrimonio adhuc constante ?

- 1 Si maritus vergit ad inopiam, periculunque est vxori dotem soluto matrimonio non recuperandi dotis repetitio conceditur.
- 2 Quando censetur maritus ad inopiam vergere?
- 3 Hoc periculum prouenire debet ex mala mariti rerum familiarium administratione.
- 4 Qualiter hoc periculum probetur?
- 5 An data à marito fideiussione, vel oblato sequestro impediatur vxor à dotis repetitione? Communis sententia negat.
- 6 Contraria magis probatur.
- 7 Vxor obligata non est dotem repetere, sed vii potest sequestro.
- 8 An si mulier nubat viro inopi, & quem scit dotem non esse rectè administraturum, eo ipse videatur antequam dotem cedere? Distinctione respondetur.
- 9 Proponitur obiectio, & soluitur.
- 10 Mulier negligens veniuntiare non potest privilegio concessio exigendi dotem.
- 11 An extraneus mulierem dotans sub obligatione, ut ipsi doti restituatur soluto matrimonio si absque liberis vxor dederit gaudet eodem privilegio repetendi dotem, quæ gaudet vxor? Resoluitur negativè.
- 12 Dote extracta à marito, & vxori restituta, si nuptias diuicias maritus obtrahat, periculunque abusus esset.